

aliquem eligi Canonicum, qui non fit in sacris ordinibus constitutus. Cum ut supra dictum est nullæ sint ibi præbendæ ordinem habentes annexum, talis sic electus per omnia censeatur, ac si absens foret, licet personaliter resideat in civitate, quousque fuerit ad sacros ordines assumtus, & promotus.

Canonici autem ipsius Ecclesiæ præsentibus, & futuri in sacris constituti, sed non in sacerdotio, sive constituti in sacerdotio, sed minime celebrantes: quamquam apud Ecclesiæ ipsam residentiam faciunt, dummodo alias intersint celebrationi divinatorum officiorum in ipsa Ecclesia, & horis canonicis diurnis, & nocturnis, ut celebrantes Missas onus valeant commodius, & libentius sub spe condignæ mercedis tolerare, teneantur, & debeant singulis annis tradere, & assignare massario dictæ Ecclesiæ tertiam partem fructuum, & proventuum præbendarum suarum secundum taxam, & æstimationem ut supra dictum est sub prædictis penis, & censuris, quam partem ut supra dare volumus Canonici, & aliis in Ecclesia ipsa Missas celebrantibus secundum ordinationem de celebratione in ipsa Ecclesia factam, vel fiendam. *Hic in codice capituli additur:* Canonici vero ipsius Ecclesiæ præsentibus, & futuri in sacerdotio constituti, non tamen continuo celebrantes in ipsa secundum supradictam ordinationem de celebrantibus, sed aliquando, & maxime diebus festis, & solemnibus Missas in ipsa celebrantes sub eisdem penis, & censuris suprascriptis tenentur tradere, & assignare massario supradicto quartam partem fructuum, & proventuum præbendarum suarum, nisi a continua celebratione aliqua causa excusaret, vel aliter cum Canonici residentibus, & continuo celebrantibus amicabiliter convenirent, ad quos pro mercede celebrationis volumus supradictas fructuum traditiones, ut supra ordinatum est, faciendas, & solvendas.

Supradictam synodalem constitutionem super eo quod disponit, quod Canonici, qui assumti fuerint ad præbendas vacantes teneantur tradere, & assignare massario dictæ Ecclesiæ mediam partem omnium fructuum, & proventuum præbendarum, quas fuerint assecuti, convertendam in ornamentis, & fabrica ipsius Ecclesiæ sub certis pœnis in ea contentis cum pœnis, censuris, & privationibus in ea contentis, hac præsentis constitutione nostra approbamus, ratificamus, & confirmamus declarantes dictam medietatem tradi, & assignari debere per quoscumque Canonicos infra sex menses a die habitæ possessionis secundum æstimationem, & taxam supradictam factam de singulis præbendis, volentes etiam, & ordinantes, quod omnes, & singuli Canonici observantiam hujus nostræ constitutionis jurare teneantur, & debeant secundum quod in ipsa synodali constitutione cavetur infra mensem unum a die hujus publicationis, sive notitiæ habitæ, nolentes vero de ipsa observanda jurare, incurrere volumus pœnas, & censuras in ipsa synodali constitutione contentas.

Prædicta omnia, & singula statuentes, ordinantes, decernentes, approbantes, & confirmantes auctoritate nostra omni jure, via, modo, & forma quibus melius possumus, & debemus, mandantes, & præcipientes hanc præsentem ordinationem nostram re-

digi in publicam formam per te Bartolomeum de Carlevariis civem Aquensem Notarium publicum cancellarium nostrum, atque Curie nostræ Episcopalis scribam, ipsamque scribi, & registrari in libris Constitutionum Sinodaliū, & in archivio sacristiæ nostræ cum ipsis constitutionibus reponi, & innodari præsentibus Presbitero Guiglelmo Gallo de Montebaudono rectore Ecclesiæ de Alice, & Albertino de Regibus cive Albense testibus.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCCLV., indictione III., die IV. decembris in civitate Aquis in domibus residentia Rev. in Christo Patris D. D. Thomæ de Regibus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Aquensis, & Comitatus in ejus Camera cubiculari præsentibus venerabilibus Dominis Presbiteris Guiglelmo Gallo de Monbaudono rectore Ecclesiæ de Alice diœc. Aq., & nobili Albertino de Regibus cive Albensi testibus ad hoc vocatis, & rogatis, lecta, & publicata fuit supradicta constitutio per me Bartholomeum de Carlevariis de mandato ipsius Episcopi præsentibus quoque venerabilibus Canonicis infra scriptis, qui omnes tactis manibus S. Scripturæ corporaliter in manibus præfati Domini Episcopi juraverunt observare constitutionem infra scriptam.

Nomina præfatorum DD. Canonicorum sunt hæc:

Federicus de Porta. Sigismundus de Sismundis. Guiglelmus de Bellexiis. Antonius de Porta. Petrus Nicolosius Bulla. Stefanus de Morandis. Johannes de Sismundis. Anselmus de Ainardis.

(1) Videtur innuere quamdam constitutionem synodalem temporum injuria deperditam.

*Litteræ delegationis Sixti IV. ad uniendas Parochiales Ecclesias Cremolini Ecclesiæ S. M. datæ fratribus ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo.*

MCCCCLXXIII.

385

Sixtus Episcopus SS. Dei dilecto filio Præposito Ecclesiæ S. Michaelis de Rivalta Aq. Diœc. salutem, & apostolicam benedictionem.

Ex injuncto nobis licet immeritis desuper Apostolicæ servitutis officio ad Ecclesiarum, & regularium locorum, ac personarum in illo studio piæ vitæ sub regulari observantia vacantium statum in melius dante Domino prosperandum curis intendentes assiduis, libenter ad illa opportuna provisionis impendimus auxilium, quæ ad Divini cultus initi propagationem opportunam fore conspiciamus, quibusque Ecclesiis, & locis, ac personis ipsis in suis necessitatibus congrue subvenitur. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Guiglelmi Marchionis Montisferrati, ac Prioris, & Fratris domus ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo oppidi de Cremolino Aq. Diœc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod scilicet S. Benedicti, & S. Blasii, ac S. M. de Bruseta, & S. Agatæ extra dictum oppidum Parochiales Ecclesiæ dudum habitæ, & actu curatæ fuerint, nihilominus causantibus diversis finistris eventibus Parochiam dictarum Ecclesiarum extra dictum oppidum, ad habitandum infra illud se reduxerunt, ipsæque Ecclesiæ extra Parochianos